

829 tum, ut fui ampliorem ædem Divo Marco erigendam curarent. Cæterum ipsius quoque legato Zachariæ & Hilarii fana, amplissima prædiorum accessione sunt ditata. Joannes Particiatius, Justiniani frater, quem ille ex Græcia revocatum sibi collegam cooptaverat, Princeps declaratus, publicam administrationem a divinis orsus, fanum Ducario propinquum statuit, in quod rite dedicatum ex minori facello Evangelistæ corpus est translatum: lectique ex omni clero aliquot, qui rem ibi divinam facerent: his Antistes datus, quem *Primicerion* hodie vocant. Fuit res ipsa omnino tenuis ab initio, nec præsentī opulentia & magnitudini, qua hodie moles ipsa laborat, quicquam habuit simile: sed de magnificentissimo ipsius templi apparatu, loco magis opportuno dicetur. Cum Narentanis vetusto more gentis proxima maria cursu infestantibus publice sædus est percussum: quo non multo post violato, aliquot Venetos negociatores ex Apulia navigantes, medio mari oppressos Barbari necavere. Ferunt per id tempus Obelerium Ducem (quem annales quosdam secuti in exilio abiisse proximo libro docuimus) in Curictam insulam, quam vulgo nunc Vegliam vocant, transivisse, recuperandi Principatus causa res novas moliturum: in eum Particiatius, antequam moveri posset aliquid, validam classem instruit, hostemque inter primos conatus pene incautum obsidione cingit, obsessum summa ope oppugnat: interim ex Medoacensibus quidam veteri in Obelerium studio, qui prius eorum popularis, inde Dux fuerat, in urbem transfugiunt. Ea re Joannes commotus soluta obsidione, classeeque Venetias celeriter reducta, in transfugarum invidiam Medoacum expugnat, atrocissimoque incendio absumit. Mox vero supplemento prioribus copiis addito, Curictam denuo trajecit: qua in suam potestatem redacta, Obelerium capitali supplicio affecit. Inde haud longo interjecto tempore nobilium quidam, Carosio Bonici filio auctore, in Ducem conjurarunt: ille subita conspiratione pulsus, in Galliam transfugit: Carosius interim injussu populi Ducatum invadit. In quem pessimo exemplo Rempublicam administrantem recens Optimatum factio coorta est: cujus capita Basilius Trasimundus, Joannes Martu-

Joannes
Farrici-
tius Justini-
ano succe-
dit.

Sacerdotes
cum Primi-
cerio Divo
Marco dati.

831
Obelerius
Curicta in-
sula oppres-
sus supplicio
capitali af-
fectus est.

Medoacum
expugnatum.

Dux Jobā-
nes conspi-
ratione Ca-
rosiana pul-
sus abiit in
Galliam.